

Dissertatio medica inauguralis, de catarrho : quam ... pro gradu doctoratus ... / eruditorum examini subijcit G. Fordyce, A.M. Scoto-Britannus.

Contributors

Fordyce, George, 1736-1802.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Hamilton, Balfour, & Neill ..., 1758.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xmtsw7ws>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

The background of the image is a traditional marbled paper pattern, often called a 'stone' or 'shell' pattern. It features intricate, swirling, and feathered designs in shades of deep blue, light blue, cream, and dark brown or black. The pattern is dense and covers the entire surface. In the center, there is a rectangular, off-white or cream-colored label with a thin black border. On this label, the title and author information are printed in a black, serif, all-caps font. The text is centered and arranged in three lines: the first line is 'DISERTATIO MEDICA', the second line is '• FORDYCE •', and the third line is '1758'.

DISERTATIO MEDICA

• FORDYCE •

1758


61457/p

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CATARRHO.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30375769>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATARRHO.

VISSERT VIRO EXIMIO
GULIELMO CULLEN M.D.

COLLEGII MEDICORUM REGALIS
SOCIO DIGNISSIMO,
MEDICINÆ ET CHEMIÆ IN ACADEMIA EDINENSI
PROFESSORI CELEBERRIMO,
NON MINUS MORIBUS
QUAM INGENIO ET LITERIS SPECTABILI;

NEC NON
AVUNCULO SUO PLURIMUM HONORANDO
JOHANNI FORDYCE M.D.
VIRO IN ARTE MEDICA PRÆSTANTI;

QUIBUS, PROPTER CONSILIA IN STUDIO,
ET MONITA IN PRAXI MEDICA,
FIDA SEMPER ET VERA,
MIHI AMICISSIME COMMUNICATA,
PLURIMUM DEBEO;
HASCE STUDIORUM MEORUM PRIMITIAS,
CONSECRATAS VOLUIT

G. FORDYCE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CATARRHO,

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

G. FORDYCE, A. M. SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 13 Octobris meridie, loco solito.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVIII.

DISSECTATIO MEDICA

IN AUCURIA M.D.

DATA R.H.O.

ANNONATUM SUMMO NUMINO

D. JOANNIS GOWDIE

ACADEMIAE EDINBURGENAE TRAECTATVS

348404

THE GRADU DOCTORATUS

G. FORDYCE, A.M. EDINBURGH

And Hamilton, B. & Co. Printers

EDINBURGH

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATARRHO.

MORBUS, in quo humor mucosus copiose, et frequenter e bronchiis, per tussim rejicitur, *Catarrhus* dicitur; ex eo, quod humor ille a cerebro in fauces et pulmones diffluere, a veteribus Graecis putabatur. Hinc etiam apud Latinos *Distillatio* audit. Plures duas hujus morbi species fecerunt; alteram sine febre, quam *Catarrhum frigidum*, alteram cum febre, quam *calidum* appellarunt: De posteriori tantum hîc agendum est.

A

HISTO-

HISTORIA MORBI.

Nemo est qui Catarrho, ex causis postea recensendis, corripere non potest; sunt tamen qui, praeter aliis, hoc morbo facilius et frequentius afficiuntur. Quidam ex parentibus catarrhosis geniti, eidem obnoxii fiunt; adeo ut Catarrhus inter morbos haereditarios jure recenseatur.

Alii, ex nullo parentum vitio, sed ex sua mala conformatione, in Catarrhum proclives sunt. Ii, scilicet, qui thoracem angustum et planum habent, cum collo longo; qui gibbosi sunt, et qui toto corpore debiles, flaccidi et frigidi. Ii denique Catarrho magis obnoxii sunt, qui hoc morbo, quacunque ex causa, jam saepius laboraverint, praesertim si morbus antea perpeffus, tuberculum vel vitium quoddam in pulmonibus reliquerit.

CATARRHUS sequitur vel frigus corpori applicatum, vel animi pathemata, timorem, scilicet et moestitiam.

FRIGUS corpori applicatum pro Catarrhi causa agnoscunt omnes, plures pro sola ponunt; sed Catarrhum ex moestitia et timore ortum aliquoties
vidi,

vidi, cum de frigore corpori applicato nulla suspicio adfuit, vel adesse potuit.

Cum frigus etsi intensum corpori applicatum, saepe Catarrhum non inducat; et alias morbum, frigus modicum gignat; omnino hinc notari meretur, quibus praesertim conditionibus frigus Catarrhum producit. Hae conditiones spectant, vel frigus applicatum, vel corpus cui applicatur.

1mo, Corpus humanum in aëre semitipso frigidiori fere semper versatur, et magno admodum frigoris gradui assuefieri potest; si modo paulatim et sensim id fiat; sed tum maxime a frigore patitur, quando frigus applicatum multo magis est eo, cui homo per tempus assuefactus fuerat. Hinc, in iis regionibus, quibus aëris status maxime mutabilis, ut hinc in nostra Britannia insulari, Catarrhi maxime frequentes.

2do, Vicissitudines aëris frequentes quidem ubique fere sunt; sed vel vestes, vel Atmosphaera materiae perspiratae calida, corpus circumdans, frigus arcet, et corpus tutum praestat, et tum tantum patitur, quando vel pars quae plerumque vestita fuerit, jam denudata frigori exponitur, vel venti continuo afflatu, Atmosphaera modo dicta abigitur, et frigus corpori propius admittitur.

3tio,

3tio, Frigus etsi magnum, si modo brevi tantum tempore corpori applicetur, vix morbum producit, et tum tantum quando diutius et constanter fere corpori adhaeret. Hinc metallorum, lapidum, vel alius corporis frigidi majoris molis, quam quae a corpore humano calefieri potest, continuus per aliquod tempus contactus, morbum gignit.

Hinc humidi evaporatio, utpote frigus constanter generans, corpus maxime afficit. Hinc vestes humidae, in solum humidum decubitus; vel demum ex humidis et palustribus, vel è camerae pavimento nuper madefacto, vel è parietibus nuper exstructis, vel incrustatis vapor continenter exurgens, saepe adeo hominibus infestae. Huc etiam referendus est effectus venti valde ficci, Euri nempe, qui saepe per longum Europae tractum trajectus, huc adveniens, tum maxime friget, tum magis quam pro ratione frigoris quod adfert, corpus humanum frigefacit, per subitam humidi è corpore exhalantis absorptionem.

4to, Positis conditionibus modo dictis, homo fere quisque frigori afficitur, ab eodem autem frigoris gradu quivis non patitur; sed a frigore etiam leviori patitur hic, dum ille frigori magno resistit.

Hoc

Hoc tamen pendet ex conditionibus quibusdam corporis cui frigus applicatur. Hinc

α Quo plus calet corpus, vel quo plus in aëre calidiori versatus, fuerit eo facilius, ab imminutione quadam caloris afficitur; adeo, ut mihi videtur, homo qui calori 70, vel plurium graduum Thermom. Farenh. assuefactus sit, plus patitur ab imminutione caloris per decem gradus, quam homo, quando in calore non nisi 50 graduum vel infra versatus fuerit. Aliter quidem sensit egregius in arte vir WINTRINGHAMUS senior; sed experimenta in hac re fallacia admodum sunt, et ex plurimis observatis constat, eos, qui in aëre frigido multum versantur, facilius et tutius, vicissitudines quasvis aëris pati; et certius adhuc constat, homines, aestate quam hyeme, regionibus calidis quam frigidis, ac corpore quacunque de causa plus solito calente, sensibiliores evadere.

β CORPORE calente, si aëris frigidi aura in partem quandam corporis solam dirigatur, pars illa, et saepe per consensum caeterum corpus magis afficitur, quam si simul totum corpus eidem frigori expositum fuisset. Hinc hominem in cubiculo tepido quiescentem adeo graviter afficit aër externus frigidior,

dior, per rimam fenestrae, ostii vel parietis, in unam tantum partem corporis irruens; cum forte idem homo in aërem illum frigidiorē impune exivisset.

γ CORPUS a calore solis, foci, balnei, vel ab exercitationē vehemente, sudore diffuens, si quiescens frigori exponatur, ab eo facile afficitur.

δ CORPUS, utcunque debilitatum, a frigore quovis facile afficitur; hinc longo itinere, vel multo labore fracti; inedia et fame languidi; vigiliis, et praesertim lucubrationibus diutius protractis, confecti; evacuationibus quibuscunque exinaniti, è morbo convalescentes infirmi; hesternae crapula languentes, voluptate, et praesertim multa venere enervati; pathematibus denique animi, timore, scilicet, et molestiis dejecti: Hi omnes, si, corpore haud rite tecto, aëri frigido sese exponunt; vel, corpore utcunque tecto, si frigori paulo majori expositi fuerint, ab hoc gravius afficiuntur. E contrario, homo viribus integris valens, sub exercitatione et motu firmus, vino multo vel opio sustentatus, appetitu venereo flagrans; pathematibus denique animi, hilaritate, scilicet, gaudio, ira, indignatione, vel desiderio quovis vehemente, excitatis; hic frigori magno

no admodum resistit, et vicissitudines fere quasvis impune patitur.

CAUSAS quas jam diximus sequitur Catarrhus, et cum phaenomenis vel symptomatis sequentibus plerumque incedit.

CORRIPITUR aeger languore, et lassitudine totius corporis, horrore vago, ab aerae frigidae cujusvis afflatu, facile excitato; hebescit simul mens; gravatur caput, et cum sensu plenitudinis dolet; oculi calent, et cum sensu distentionis laborant; nares quasi infarctae sentiuntur, nec per eas facile inhalatur aer; ex iis humor tenuis, saepe acris, jugiter stillat, cum sternutatione frequenti, quod Coryza audit; fauces quasi tumidae angustantur, et harum interior membrana rubet; trachea interius quasi sicca et aspera sentitur, et vox fit rauca; thorax quasi constrictus, et pulmones infarcti, aerem subeuntem minus facile recipiunt. Ex acri quodam fauces, glottidem, laryngem, et bronchia vellicante, accedit subinde tussis plerumque sicca, parum tantum et tenue quoddam rejiciens. Ex tussi frequente, pectus sub sternum dolet. Haec symptomata comitatur febris, sub vespere praesertim ingravescens, prima nocte somnum arcens; sed post mediam

diam noctem obrepit fomnus, et sudore pauco madescit corpus. Dum haec fiunt, appetitus plus minus prostratus, alvus astricta, et urina flammea sunt, et sanguis è vena missus, crustam ut vocant inflammatoriam, in cruoris superficie ostendit.

IN corporibus prius sanis, et quibus causa magna non applicata fuit, salutariter admodum hoc modo decurrit morbus. Perstante, scil. tussi mucus copiosius, et minus tenue è bronchiis elicitur, mucosae membranae tumor, et inflammatio paulatim recedunt; caput et oculi levantur; minus arida et aspera fiunt bronchia; vox fit clarior, et quo liberius rejicitur mucus magis lentescens, eo tussis fit levior, et minus frequens, donec cum febre paulatim tandem omnino cessit, erumpente aliquando circa os, et nares scabie multa.

Ex causa vero vehementiori, superveniunt aliquando graviora symptomata. Ingravescente nempe tumore faucium, saepe fit angina, et saepe pectoris dolor, respiratio difficilis, et febris augentur, adeo ut pro peripneumonia morbus haberi possit. Saepe etiam in pleuritidem transit, maxime si tum quoque is ipse passim in populum grassatur.

In

In praedispositis accedit saepe haemoptoe, et quibus in pulmonibus haerent glandulae obstructae, et tumefactae, tubercula dicta, haec ex Catarrho inflammantur, suppurantur, et in phthisim pulmonalem incidunt aegri.

CAUSA PROXIMA ET SYMPTOMATUM RATIO.

Ex phaenomenis jam enarratis satis constat, Catarrhi causam proximam esse, mucii in membrana mucosa narium, faucium et bronchiorum secretionem auctam, cum tumore harum membranarum inflammatorio. Haec pendere videntur a sanguine ab exterioribus corporis repulso, et majori ideo copia in interiora, speciatim in glandulas mucosas delato. Hinc Catarrhus fit, vel ex timore et molestitia, vires cordis et vasorum minuentibus, adeo ut sanguis ad superficiem corporis minus copiose pellatur; vel ex frigore corpori extrinsecus applicato, tum vasa exhalantia, tum vasa quaeque prope superficiem reptantia, constringente, adeo ut sanguinem minori copia admittant.

B

HINC

Hinc patet, cur ii, quibus pulmones debiles, vel in spatium magis angustum conclusi sunt, ex sanguine, in interiora congesto, tum facilius, tum gravius afficiuntur. Cur molles, flaccidi, et frigidi, hoc est hi, quibus sanguinis impetus in vasa cutis minus validus est, à frigore quovis facilius corripuntur. Cur, utcunque debilitatis idem accidit, et è contrario, cur corpore robusti ; animo hilares ; vino, opio, vel pathemate stimulante excitati, frigus impune patiuntur.

NEQUE ^{III}symptomatum ratio nos multum morari potest, lassitudo et horripilatio febrem ingruentem, ut alias, comitantur. Capitis gravitas et dolor, et oculorum distentio ex plethora et tensione vasorum pendent.

INFARCTIO narium à tumore membranae mucosae oritur. Humor ex iis stillans est mucus copiosus secretus, et sine mora in cryptas excretus, hinc tenuis et acris est, et ab acrimonia ejus fit sternutatio. Eodem modo, à mucosa membrana tumefacta angustantur fauces et bronchia. Si tumor et inflammatio adsunt, sine excretionemuci aucta, ut sub initium morbi aliquando fit, asperae et siccae sentiuntur

fentiuntur viae aëreae, et vox raucescit. Ex muco tenui et acri in fauces, vel in bronchia defluente, fit tussis. A viribus vitae sub febre auctis, sanguis, ad exteriora corporis, copia iterum majori redit, ejusdem impetus in interiora minuitur, febris ipsa levatur, et c. ssant alia Catarrhi symptomata.

Ex solo sanguinis circuitu mutato haec omnia explicare conati sumus; neque, ut nobis videtur, licet hîc supponere acrimoniam quandam ex aëre intus delatam; nec opus esse ad materiam perspirationis detentam, et acrem factam, hîc confugere. Ut-cunque hae opiniones ratiocinio probabili tueri possint, rem revera ita fieri nullo modo probari potest.

CUM in hoc morbo mucus varias mutationes subit, ut hae quodammodo explicentur, in naturam mucî penitus inquirere volui: Hoc etiam, quâ potui diligentia, jam feci, nec tamen dotes ejus, si quae sint peculiares, cernere adhuc potui. In eo etiam multum frustratus, quod dotes ab illustri Archiatrorum Comite Dom. SENAC muco adscriptas, nequaquam deprehendere mihi licuit. Experimenta itaque a me capta, cum ab iis cl. SENACI parum diversa sint, hîc recensere non inutile fore duxi. De vera quorundam humorum humani corporis in-

dole

dole parum adhuc constat, et repetitis solum experimentis, ea indagare potest.

EXPER. I. Mucus, quo in hoc, et plerisque frequentibus experimentis, usus sum, ex naso sani hominis, neque sternutatorio quovis utentis, sponte defluxit. Mucus hicce cum aqua pura frigida diu tritus fuit, nec cum ea miscebatur, sed ad fundum vasis subsidebat.

EXPER. II. Phialam quae mucum cum aqua pura superinfusa continebat, maris ut vocant balneo indidi, et igne primum leni, postea ad calorem aquae bullientis aucto, aliquamdiu fovi; sed nulla inde mucī et aquae miscela facta est.

EXPER. III. Cum aqua, cui vel salis nitri, vel salis marini, vel Tartari vitriolati, vel denique salis ammoniaci, portio quaedam adjecta fuit, mucum eodem, ac in Exper. 1. et 2. modo tractavi; sed neque cum hisce salium solutionibus misceri potuit.

EXPER. IV. Sales modo dicti, mucō adjecti, in hoc fere, ut in aqua, solvebantur; cum vero solutioni salis in mucō affundebatur aqua, in hanc transibat magna pars salis, mucō post trituram ad fundum vasis subsidente.

EXPER.

EXPER. V. Hactenus loquuti sumus de muco tantum crasso et viscido, et qui visciditatem stagnatione, ut videtur, in folliculis glandularum adeptus est; sed idem humor, cum statim prout secernitur, et in folliculis glandularum defluit, si sine mora foris exeat, tenuis et limpidus est, et cum aqua facile miscetur.

EXPER. VI. Mucus cum acidis quibuscvis, vel natura multum aquosis, vel multa aqua dilutis, non miscetur; sed cum acidis vitriolico vel nitroso concentratis, miscelam subit, et ex admisto muco, post tempus aliquod nigrescit acidum vitriolicum.

EXPER. VII. Cum solutione salis alkalini, vel fixi, vel volatilis, si hi aëre omnino saturati, et nullatenus caustici sint, mucus tractatus, omnem miscelam respuebat, et cum salis alkalini in muco ipso, ut facile possint, solvebantur; eadem ex adjecta aqua, ac in Exper. 4. contingebant.

EXPER. VIII. Cum solutione salis alkalini omnino caustici, facile et perfecte miscebatur mucus. Hoc fit cum sal alkalinum non nisi decima et quarta pars aquae est, et cum sal sit aquae pars vigesima octava, mucus nasi solvebatur, relictis tantum quibusdam quasi membranis tenuissimis. Mucus

ex

ex canis ventriculi tunica interiore expressus, in solutione adhuc dilutiorē perfecte solutus fuit.

EXPER. IX. Mucus cum oleo quovis utcunque tritus, non bene miscetur.

EXPER. X. Nec cum sapone in aqua soluto, nec cum mucilagine gummi Arabici misceri potuit mucus animalis. Cum quidem istorum solutiones crassae et viscidae admodum essent, mucus cum his tritus divulsus est, et in iis irretitus solvi videbatur; sed ab adjecta aqua maxima pars tum saponis, tum gummi, a mucō eluebatur.

EXPER. XI. Cum mucum narium aëri exsicandum exposueram, post aliquot dies, ad quintam partem reductum inveni. Huic residuo sicco, friabili, pellucido, coloris gummi Arabici, aquam adjeci, et cum eo trivi, et cum aqua facile miscebatur, donec tantum aquae adjectum fuit, quantum antea humidi per exsiccationem amiserat: Sed tum pluri aqua uti mucus recens, misceri prorsus abnuit.

EXPER. XII. Mercurius sublimatus corrosivus in pulverem tritus, et pauca quantitate mucō narium additus, hunc statim in massam albidam grumofam, sed parum cohaerentem, humide quid tamen

men demittentem coagulat. Mucus etiam solutioni Mercur. sublimati corrosivi adjectus, post breve tempus eodem fere modo mutatur.

EXPER. XIII. Mucus in acidum quodvis bene concentratum injectus, statim albescit et lentescit ; et admisto acuratus acido, in minorem molem contrahitur.

EXPER. XIV. Mucus in alkahol. vini injectus, post aliquod tempus, eodem modo fere ac ab acidis concentratis mutatur.

EXPER. XV. Mucus in aquam bullientem injectus, albescit et lentescit, sed parum omnino firmitatis adipiscitur.

EXPER. XVI. Mucus narium vel bronchiorum in aquam injectus, versus superficiem fluitat ; sed ob bullas aëris tantum quibus repletur ; nam mucus divulsus ita ut elabi possit aër, statim fundum aquae petit : Mucus, tum ventriculi, tum urethrae, utpote aëre non refertus, subsidet ad fundum aquae, simulac in eam injicitur.

EXPER. XVII. Mucus in aquam immissus, et in vase operto calore sexaginta graduum Therm. Fahrenh. per dies quatuordecim fatus, factorem carnis putridae acquisivisse deprehendebatur, pars
ejus

ejus in aqua membranae instar suspensa videbatur; vase vero concusso membrana ista tota per aquam diffundebatur, nec quicquid fere postea ad fundum vasis subsidebat.

IN altero vase, in quo mucus cum minore aquae copia superfusa immixtus fuit, post dies quatuordecem, tantum aquae evaporatum est, ut nihil fere praeter mucum ipsum relictum, qui foetens et mucore oblitus fuit.

MUCUM, sine aqua adjecta, putridum reddere haud facile videtur; quia tanta quantitate vix haberi potest, quanta necessaria foret, ut aëri exposita, redderetur putrida antequam ficcata fuerit.

EXPER. XVIII. Muci portionem in aëre ficcata, in ferrum ignitum imposui, quae mox cum crepitu multo aërem et fumum plurimum alkali volatiti, et oleum empyreumaticum redolentem exhalavit, et omnino cum iisdem phaenomenis, quibus cornua, plumae, et aliae animalium partes solidiores, combusta est. Mucus combustus cineres paucos, nihil salini retinentes, reliquit.

EXPER. XIX. Muci uncias circiter quatuor in retortam injeci, et adhibito igne primum leni, post-

ea

ea gradatim aucto per destillationem, elicui aquae vix odoraet, circiter uncias tres aquae fale volatili imbutae, et a spiritu C. C. nihil diversae, drachmas fere quatuor, olei empyreumatici guttas aliquot, et falis volatilis ficci in collo retortae haerentis parum.

EXPER. XX. Salivam cum muco affinis videatur, examinare idoneum duxi; et ex institutis experimentis, in plerisque cum eo convenireprehendi.

SALIVA ob pelluciditatem ejus cum aqua misceri videtur, sed acuratius examinata, vel per filtrum transmissa aqua, ab ea separatam adhuc salivam inveni.

SALIVAM, cum eodem modo quo mucus in Exper. 16. tractaretur, aqua specifici graviozem inveni.

EANDEM ac in muco putrescentiam in saliva observavi.

SALIVA ab injecto Merc. sublim. corros. coagulata est, secedente multa humore aqueo.

SALIVA in alkahol vini injecta, statim albescit, lentescit, et mole multum minui videtur.

SALIVA, ab admisto acido concentrato, nequaquam coagulari videtur, sed sine ulla caloris mutatione, saliva cum acido miscelam subit; saliva aëri calido exposita, post aliquot dies siccata fuit, remanente prioris ponderis parte circiter duodecima.

SALIVA siccata, mucum siccatum satis exacte referebat; in hoc tamen diversa, quod illa saporis salini fuerit, cum mucus prorsus insipida esset.

SALIVA siccata et combusta eadem sub combustionem phaenomena ac mucus in Exper. 18. exhibuit; sed cineres post combustionem salivae relictæ, multum salis iis inesse gustu prodiderunt.

HAEC sunt quae hætenus expertus sum ad mutationes muci in morbis explicandis, forte parum conferre possunt, sed non prorsus inutilia fore confido; et ad hæc etiam observationes quasdam adjicere non dubito.

Cum in Exper. 5. videamus humorem e glandulis mucosis recens secretum in aqua solubilem, eundem vero, post aliquam in folliculis moram, per Exper. 1. et 2. nequaquam esse, et cum simul in humore recens secreto, plurimum salis inesse gustu deprehendamus; et quod idem utpote cum aqua reabsorptum

reabsorptum a mucro infipido abesse judicamus, non improbabile foret solubilitatem humoris in Exper. 5. pro effectu falis in eo praesentis habere. Sed quodammodo repugnant, tum Exper. 4. quod docet salia neutra illic adhibita nihil ad solubilitatem mucro conferre ; tum Exper. cum saliva facta, quae docent salivam, etsi sale refertam, nequaquam in aqua solubilem esse. Saltem in Exper. 4. constat salia neutra in gargarismatibus vulgo adhibita, nequaquam, ut vulgo creditur, solvendo mucro, opem ferre.

EXPER. 12, 13, 14, 15, 17, 18, 19. cum iis quae de mucro scripsit ill. SENAC, conferenda sunt. Sit hujus rei penes lectorem judicium, forte ad Experimenta iterum capienda relegandum.

Ex vi falis alkalini caustici, ad solvendum mucum per Exper. 8. manifesta, id morbis quibusdam mucro medicamentum fore, longo ab hinc tempore opinatus sum ; et, ni fallor, revera esse inveni. Juvenis post coitum impuritatis suspectum, ne poenas inde lueret metuens, me compellavit, rogans, si quid ad praecavendum gonorrhoeam scirem, ut cum eo communicarem. Tum forte de solvendo mucro, per alkali causticum meditans, et
simul

simul virus venereum in mucro haerere censens, non dubitavi juveni huic consulere, ut in urethram salem alkalinum causticum in aqua solutum injiceret, et cum eodem glandem lavaret : Dicto obsequutus est juvenis, et protinus ex urethra effluxit copia muci tenuis, qui etiam per diem unum et alterum, sed crassior et albidior, effluere perstitit. A morbo immunis omnino evasit juvenis; etsi cum ad me venisset, de ardore urinae conquaestus esset, et muci albidii guttulam subinde ex urethra exprimere posset. Ab hoc experimento uti videbar doctus, in pluribus aliis idem medicamentum expertus sum, neque spem adhuc fefellit, quoties tempore debito post coitum adhibitum est. Nam vel nimis cito, vel nimis sero adhibitum, nihil fere praestat. Ut in hac re nihil fallaciae subesse putetur, possum dicere me jam saepius expertum fuisse, quod ex duobus hominibus qui cum eadem femina rem habuerunt; unum, ab usu solutionis salis alkalini caustici, prorsus sanum mansisse: alterum vero, ignorato vel neglecto eodem remedio, symptomata gravissima gonorrhoeae virulentae tulisse.

His experimentis fretus, non dubitavi quin gonorrhoea etiam suborta, ad eliciendum virus conferre

ferre posset solutio modo dicta, et in hunc finem aliquoties adhibui, sed fateor me necdum auxilii quidquam in ea invenisse.

IN morbis pectoris, cum de ulcere pulmonum suspicio sit, neque certe constat, utrum sputa purulenta anne mucosa sint; Medici plerumque judicant id mucosam esse quod supernatat, id vero purulentum quod ad aquae fundum subsidet; sed per Exper. 16. mucus ipse aqua specificè gravior est, et cum crassus et viscidus secernitur, adeo ut parum aëris pulmones subeuntis cum eo misceri potest, in aqua eum protinus subidere haud mirum.

HAEC de muco satis, et forte nimium sunt; tempus est, ut in viam redeam, et quae jam dicenda restant, dicerem.

DIAGNOSIS ET PROGNOSIS.

DIAGNOSTICA in Catarrho ex hujus historia prius tradita facile intelligi possunt.

PROGNOSEOS

PROGNOSIS in hoc morbo summa haec est. In hominibus prius sanis, Catarrhus a causa non valida ortus, neque symptomatis gravioribus stipatus, nihil fere periculi habet, et sponte plerumque, sine artis auxilio quovis, cito sanatur.

IN iis quibus pulmones debiles, et labe aliqua prius affecti sunt, Catarrhus omnis periculosus est.

IN Catarrho laborantibus, quo magis viget appetitus, quo minus febris vel inflammationis adest, quo liberior spiratio, et quo citius mucus ex tenui fit crassus, et liberius ejicitur, eo tutiorem morbum, et citius finitum esse, putare licet.

APPETITUS prostratus, febris acuta, dolores circa pectus, decubitus difficilis, spirandi angustia, diathesis sanguinis phlogistica, tussis frequens cum sputo paucum et tenui, sunt Catarrhi gravioris periculosa, et in peripneumoniam facile transeuntis, symptomata.

CATARRHUS sine causa manifesta diu durans, et si symptomatis gravioribus non comitatus, periculi semper aliquid alit, vel quod labe aliqua pulmonibus forte haeret, vel quod congestionem in pulmone periculosam facile pariat.

M E T H O D U S M E D E N D I.

IN Catarrho medendo indicationes curatoriae videntur esse,

1mo, INFLAMMATIONEM et febrem tollere.

2do, SECRETIONEM muci, sub incurfu morbi saepe parcam, promovere.

3tio, ACRIMONIAM muci delinire, vel saltem irritationem inde ortam, sopire.

4to, SANGUINEM et humores iterum debita copia versus cutem pellere.

I. INFLAMMATIO et febris tolli possunt:

1. MISSIONE sanguinis ea quantitate, quae viribus aegri, vehementiae symptomatum, et statui ipsius sanguinis, respondeat.

2. SOLUTA alvo cathartici lenioribus antiphlogisticis, praesertim salibus neutris.

3. POTU multo diluente, refrigerante, ex aciescentibus et acidis nitro conjunctis.

4. VICTU levissimo humido ex vegetabilibus folis.

5. QUIETE in aëre non nimis calido.

6. VESI-

6. VESICATORIIS applicatis, et praesertim si dolor in quavis parte urgeat, vesicatorio quam proxime ad partem dolentem imposito.

II. SECRETIO muci promoveri potest scilla, allio, gummi ammoniaco, assa foetida, et aliis, si quae sint, pectoralibus, ad normam artis exhibitis.

III. ACRIMONIA delinitur ingestis, oleosis, et mucilaginosi blandis, oleis scil. vegetabilium expressis, spermate, ut vocatur, coeti, et mucilagibus, ventriculo plerumque magis gratis, ex althaea, semine lini, gummi Arabico, et similibus; quibus dulcia ex glycyrrhiza, melle, et saccharo, utiliter conjungi possunt.

CUM parum febris vel inflammationis adsit, vel cum, per remedia supra indicata, multum immutata fuerint, irritatio ab acri muco sopiri potest, et saepe praecavere expedit, exhibitis papaveraceis et opiat.

IV. SANGUINEM et humores versus cutem dirigunt.

1. VOMITUS emetico quovis leniori excitatus, et pro ratione temperamentis et consuetudinis aegri, et effectus emetici jam experti, iterandus.

2. CONTINENDO corpus in tepore moderato equabili.

3. DIAPHORETICIS pectoralibus supra memoratis, quae forte plus semper praestant ducendo versus renes et cutem, quam mucis secretionem promovendo.

4. SUDORIFERIS lenioribus, vix nisi inflammatione sublata exhibendis, et tum forte caeteris omnibus praestat opium.

JAM ad finem hanc Differtatiunculam perduxī, quam ut aequi bonique consulant Professores celeberrimi, et Condiscipuli amicissimi, precatur Auctor.

F I N I S.



